



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam
insignium memoriam in menses diesque ...**

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

XXVII. Die Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

Mortific.

pertas; nullus elegantiae vllius fucus; pro lectulo vrsina pellis; non nisi vna quotidie refectio; magna honoris omnis contemptio; paterna erga omnes facilitas; pietas erga Deiparam eximia. Creditum est, illi Pragæ Bea-

tissimam Virginem, & Sanctum Patrem Ignatium spectabiles adfuisse. Pro quodam, qui in religiosa vocatione nutabat flagris se non semel dire accepit, ac ei plagas ostendit quibus illius causâ sese conciderat.

B. V. S. P. Ignat. Charita.

XXVII. DIE NOVEMBRIS.

P. I A C O B V S

HERRERA.

27. Noueb. Hispanus Mexici. 1595

Humilitate, pietate, animarum studio assiduo magnum operæ sanctæ pretium ad eximię probitatis vsque famam tulit Iacobus, totus ad orandum Deum se abdens, cum illi aliquid otij à templo, & proximorum salute supererat. Ad confessiones audiendas magni erat exempli, quod assiduus, quod in modo agendi castissimus, cautissimus, adedque sanctâ de Diuinis agendi suauitate, ac efficacitate præstans fuerit, vt præter cætera, trecentæ Virgines, illius institutione, ad celestem in variis cœnobiis vitam degendam abierint.

Confessar.

P. P E T R V S

FONTANVS.

Hispanus Hispali. 27. Nou. 1611. ætat. 35. Societ. 19.

Ateneris Diuinæ Eucharistiæ, & Beatissimæ Virginis cultui fuit apprimè addictus. Hinc illi mirus erga pudicitiam & Societatem amor, vnde nobilissimum, & à lautâ dote magnoperè suatum coniugium Societati posthabuit; in qua modestiæ, charitatis, & omnibus quotquot boni Ministri, Confessarii que munus commendant virtutibus excelluit. Ingenti moriendi desiderio tenebatur. Ea propter ad mortem à Deo certius obtinen-

dam nouendiale Beat. Virginis sacrum peregit, & cum se necdum id obtinere crederet, adedque Diuinæ voluntati se dederet, morbo mox deductus est ad mortem à Deo Deiparæ auxilio impetratam.

*Mort. B. V.*MATTHIAS DE LA
SAVLX COAD.

Magnâ ægrorum curandorum peritiâ, nec minore charitate præstabat, alacritate simul insigni. Verum à veteratore propè ad exitium adductus est; quippe qui sacris initiari cum temerè præoptaret, neque id in Societate vllis precibus impetraret quantumuis ad id sibi maximè idoneus videretur, præpostero illo desiderio ad extremum deductus postridie iam erat è Societate dimittendus; ne Coadiutores alij exemplo terro in errorem & ipsi prolaberentur. Verum eâ nocte S. P. Ignatius secundum quietem ad pedes lectuli factus Mathiæ spectabilis, manu illi exitium comminatus est, ni perseveranter in Societate persisteret. Tum ille lachrymarum plenus manè ad Superiorem aduolauit, & in Societate manendi potestatem flagitauit, suo illo desiderio millies, milliesque damnato, ceu stimulo arcanae superbix, manifestiq; erroris; impetravit; & ita persistit, vt omnibus charus esset; mortem postea gloriosam consecutus in obsequio insectorum.

*Belga Duci 27. Nou. 1617. ætat. 35. Societ. 4.**Tentatio.**S. P. Ignat.**Vocatio.*

XXVIII. DIE